

*Laetantius: Non patiemur, inquiens, figuram & figmentum DEI feris
ac volucris in prædam jacere. lib. 6. Inst.*

Cæterum prima sepulcrorum seminaria sic satis consta- 21
re arbitror. Properamus nunc ad definitionem, quæ vel No-
minalis vel Realis. Sed cum justitiæ sacerdotibus (uti appel- 22
lantur *in l. 1. §. 1. ff. d. j. & j.*) solennè potius sit, viscera rerum
scrutari, quam apices literarum, quæ inutilis Criticorum su-
perstitio est, scrupulosè metiri, hinc in Nominali haud mul-
tum immoraturi sumus. Dicitur autem sepulcrum à sepeli- 23
endo, non à separando, quod illic animæ à vivis separatae sint,
neque quod sine re pulcrâ sit, aut quod ibi sine pulsu sint i. e.
mortui. *Calvin. in Lexic. Vocatur etiam Tumulus, monumen-* 24
tum. l. 4. C. d. religios. l. 6. §. 1. ff. eod. Cic. lib. 2. d. LL. quàmvis aliàs
à sepulcrò differat, & monumentum propriè dicatur, quic-
quid mortui gratia factum est, etiamsi quis conditus eò locò
non sit. *l. 2. §. 5. & seq. ff. d. religios. l. 42. eod. In LL. XII. Tab.*
vocatur bustum, quia olim ubi mortui comburebantur, etiam
ossa sepeliebantur: ubi verò combustus quis tantummodò,
alibi verò sepultus, is locus Ustrina vocabatur. Calvin. in Lexic.
Appellatur porrò domus defunctorum l. 4. C. d. sepul. viol. item
Sepultura c. 8. X. d. Simon. & ne aliq. pro spir. exig. can. 70. causa.
12. q. 2. c. 7. & 8. X. d. sepult. aliàs vox sepulturæ sumitur pro
funeratione atque ipsò sepeliendi actu. Græcis τάφος ἢ θῆσι
τὸ θάπτω, quod significat defodio, sepelio. Germ. Grab/
Begräbnis/ à verb. graben / weil die Toten in die Erden
begraben und verscharrt werden. Et venit sepulcri appel- 25
latione interdum omnis sepulturæ locus *l. 3. §. 2. ff. d. sepulcr.*
viol. interdum specialiter locus, ubi corpus vel ossa hominis
condita sunt. *l. 2. §. 5. ff. d. religios.* interdum pro jure se-
pulcri accipitur, ut *in l. 11. §. 2. ff. quod vi aut clam.*
Licet aliàs sepulcrum, jus sepulcrorum, & jus inferendi 26
mortuum in sepulcrum à se invicem distingvantur. *Knipschild.*